EPISTOLA
PASTORALIS
AD CLERUM, ET POPULUM
BRUNDUSINUM



NEAPOLI
EX TIPOGRAPHIA CHIANESE
1820.

FRATER JOSEPH MARIA TEDESCHI

ORDINIS PRAEDICATORUM

SACRAE THEOLOGIAE MAGISTER

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS BRUNDUSINUS.

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC DILECTIS IN CHRISTO FILIIS

ORDINI CANONICORUM, CLERO, ET POPULO UNIVERSO DIOECESIS SUAE.

Salutem in eo, qui est vera Salus.

Incomprehensibilia Dei judicia, ejusque cogitationes non esse cogitationes hominum, Sacrae Litterae praedicant: quod quidem, filii carissimi, non semel, sed passim in diuturno vitae nostrae curriculo et ipsi experti sumus. Quo enim animi ardore in furentibus aequoris, ventorumque tempestatibus, sudum nauta praestolatur, ut ad patria possit litora appellere, ibique vitam domi suae ducere tranquillam; eodem sane et nos concupiscenti animo inter laboriosa Parochialis curae pericula, in qua Tricasii multis ab annis versabamur, in silentio auspicatissimam diem opperiebamur, qua tandem aliquando data foret copia locum aliquem adeundi religiosae solitudinis, ubi in cinere, et cilicio supremum vitae nostrae diem obire possemus. Nam plane memineramus, qua spirituali dulcedine cor nostrum perfundebatur, dum tot annis in conventu degebamus Sancti Patris Dominici titulo Sanctae Sabinae. Haec sane mente recolebamus; immo haec erant vota, haec desideria nostra, iisque, ut clementissimus Deus benigne dignaretur annuere, in-

stanter deprecabamur. Variis porro hujuscemodi animo nostro cogitatibus intento, dum Gallipoli in Sanctae Teresiae monasterio in sacro ministerio exercebamur, nobis nihil tale omnino opinantibus, Regius nuncius perlatus est, quo significabatur gratia, et benignitate serenissimi Regis nostri *Ferdinandi I.*, nos novissimum, non dicam inter Ecclesiae ministros, sed et inter homines, locum tenentes, ad Brundusinum Archiepiscopatum, adprobante Pontifice nostro Optimo Maximo Pio VII. feliciter regnante, fuisse renuntiatos. Horruimus sane, fratres, et filii carissimi. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium perhibente nobis conscientia nostra, et tenuitatis nostrae conscientia convicti, totis veluti artubus contremuimus. Illico ex animo aliorum orationibus nos commendavimus, et inter profusas lacrymas Sacrificia offerentes, Patrem luminum in amaritudine animae nostrae enixe rogavimus, ut suam bonam, perfectam, et beneplacentem voluntatem ostendere, viresque nobis in ea recte ambulandi impertiri dignaretur. Cor nostrum multis Videntibus aperuimus, infirmitatem nostram, et miseriam revelantes, qui omnes una voce saepe saepius repetere edixere: *Sicut Domino placet, ita fiat*. Neque vero formidandum evadendi onus omni spe destituebamur. Nondum coram Rege nostro, nondum coram Beatissimo Pontifice sisteramus. Forte dicebamus, cernentes illi imbecillitatem nostram, ac miseriam, imparesque vires tanto oneri, ac gravissimo, difficillimoque ferendo, dimovebuntur a proposito, nosque liberos dimittent. At heu! inter tot, tantasque animi nostri angustias, etiam haec residua spes ab oculis nostris evanuit, nostraque repente nos fefellit opinio; nam et ille nos benigne sustinuit, et hic urbanissime nos excepit. Iis igitur, aliisque de causis nihil aliud nobis superesse duximus, nisi Sapientissimae Divinae Providentiae nos tradere, ipsique soli nos committentes, cum Divo Augustino repetere: *Da, Domine, quod jubes, et jube quod vis*. Quare arcana semper, et inscrutabilia Dei judicia humillime venerantes, cervicem submisimus tremendo Archiepiscopatus ponderi. Et quia non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; ideo totam fiduciam nostram in Deo ponendam esse rati sumus, ut qui opus inceperat, pro sua benignitate perficeret, solidaret,

confirmaretque, virtutem daturus, qui dedit dignitatem. Sumus ergo plane vestri, vosque plane nostri, filii desideratissimi.

Veniemus itaque ad vos in nomine Domini, et veniemus non in sublimitate sermonis, ex hoc ipso contestantes, nolle nos scire aliquid inter vos, neque aliud annuntiare vobis, nisi JESUM CHRISTUM, et hunc Crucifixum, in quo sunt absconditi omnes thesauri, Sapientiae, et Scientiae Dei. Veniemus ut pascamus gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in Clero, sed ut forma facti gregis ex animo. Veniemus, ut doceamus veritatem, exhortemur, et consolemur infirmos, et ut oves errantes ad ovile Domini reducamus. Veniemus ut Pastor, et Legatus Domini, ut commiserationis sensus in oves nobis creditas diffundamus, illisque pro viribus, solatio, consilio, adhortatione, patrocinio succurramus. Haec sane sunt vota, quae Dominus nobis praestat, quaeque opere complere in animo omnino est, eo adiuvante, qui dat velle, et perficere.

Officia autem istiusmodi etiam et vos Sacerdotes Ministri Dei, sive saeculares, sive regulares, et vos praecipue, quibus animarum cura demandata est, perficiatis oportet. Videte Ministerium, ait Apostolus, ut illud impleatis. Vos igitur Sacerdotes, et nos Pastor, attendamus ad Sacerdotalis, et Pastoralis Ministerii dignitatem, et contremiscamus. Onus est vel ipsis Angelicis humeris formidandum. Ministerium est, non dominatio. Ex hoc ne insolescamus, ne extollamur. Electi sumus a Deo, ut illi, animabusque Christi Sanguine redemptis ad aeternam salutem inserviremus. Non igitur indulgendum otio, sed strenue laborandum est. Ministerium non a nobis habemus, sed a Domino accepimus. Non propter nos, et temporalia nostra commoda, et emolumenta, sed propter ejus gloriam, et Ecclesiae utilitatem. Illud igitur non perfunctorie, negligenter, et ex parte exerceamus, sed sedulo, accurate, ferventer, ut par est. Tamquam rationem certo certius Domino reddituri, omnia ejus officia impleamus. Ecclesiae Ministros otiosos esse turpe est. Sint alta mente reposita aurea Beati Ambrosii verba, quibus Sacerdotali alloquitur fulgentes dignitate: *Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia*

vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, eum oramus, illum audimus, cum Divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Una est domus, quae omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi non obsequium hominibus deferendum recepimus. Habentes igitur administrationem juxta quod misericordiam consequuti sumus, ne deficiamus, sed abdicamus occulta dedecoris. Ne ambulemus in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis, commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Haec facientes, nunquam vituperabitur Ministerium nostrum, et is qui ex adverso est, verebitur, nihil habens malum dicere de nobis. Sic fiet, ut si quae gregis nostri oves perierint, exurgent; si ruerint, denuo stabunt; si infirmae evaserint, convalescent; et quae in fervoris spiritu permanserint, ad majorem virtutum perfectionem velut aquilae volabunt, et non deficient. Sic fiet, ut qui jam in Potentias Domini intravere, quique intrare festinant, intuentes conversationem nostram imitabuntur et fidem.

Ut tantis autem, tamque gravibus muneribus fiat a nobis satis, sufficientne deprecationes nostrae? Memores simus, fratres, Doctoris gentium, qui cum vas esset electionis, ad rite tamen, sancteque Ministerium a Domino suscepto fungendum, orationum suffragium a fidelibus efflagitabat.

Ad vos igitur primum convertimur, virgines sacrae, caelesti Sponso dicatae. Vos, quae peculiarem portionem facitis gregis a Domino nobis commissi, vos, quae ex instituto vovistis solum cogitare, quae Domini sunt, ut sanctae essetis corpore, et spiritu, et quae habitare elegistis in domo Domini, ut nidum vestrum poneretis in foraminibus petrae, et in caverna maceriae, vos inquam, obsecramus per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, et per charitatem Sancti Spiritus, ut nos orationibus vestris adjuvetis, levantes pro nobis puras manus ad Deum, ut simus omnes una vobiscum Christi bonus odor Deo.

Et Christi bonus odor Deo facti, quid nobis, quaeso,

sperare non licebit? Jam ex hoc nunc laborum nostrorum fructus veluti ante oculos nostros obversatur, et gratitudinis debitum solventes, confidenter dicimus: *Jubilate montes, exultate colles, quia fecit nobiscum Deus misericordiam suam*. Imitatores quidem facti Domini nostri JESU CHRISTI, agnoscent conversationem nostram juvenes in Seminario degentes, et ea, qua par est cura, studio, et fervore, attendent sibi, et doctrinae. Nobiles nos videbunt, et dicent: *Haec est gens sancta custodiens veritatem*. Divites aspicient, et veras divitias per nos agnoscentes, *non incident in tentationem, et in laqueum diaboli*. Sapientes cernent, et dicent: *Vera sapientia, Domine, est scire, et nosse Te, et quem misisti JESUM CHRISTUM*. Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudabunt nomen Domini, quia per nos exaltatum noscent nomen eius solius.

Sed haec hactenus. Iam enim epistolae limites praetergressi sumus. Paucis igitur nos expediemus.

Quotquot estis oves gregis Ecclesiae Sanctae Brundusinae, audite vocem nostram, quae vox Pastoris est, et Patris vestri amantissimi. Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Nolite conformari huic saeculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta. Deum timete, Ecclesiam Catholicam Romanam diligite, Regem honorificate. Induite vos, sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam. Sicut, et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JESU CHRISTI, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum. Ita eveniet, ut omnium nostrum orationes innotescant apud Deum per JESUM CHRISTUM. Dum autem orabitis, obsecramus fieri etiam orationes pro omnibus, qui in sublimitate sunt; et primum quidem pro Sanctissimo Pontifice, parenteque nostro Optimo Maximo Pio VII., ut quem Deus fecit iuxta cor suum, inco-

lumem servet, donans ei augmenta gratiarum, et omne consilium eius confirmet. Oremus etiam pro piissimo, ac religiosissimo Rege nostro *FERDINANDO I.* ut Deus impleat omnes petitiones eius, ac diutissime sospitet una cum tota eius Regia domu, quam Deus magis, magisque fortunet. Et quemadmodum nos sine intermissione pro vobis preces adhibemus, ut Deus, et Pater Domini nostri JESU CHRISTI magis in diem vos confirmet in fide, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, ita et vos orate pro Patre, et Pastore vestro, ut ab eo, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, Spiritu Sancto suo repleatur, cuius virtute susceptum Ministerium, ad extremum usque vitae suae periodum recte obire possit ad gloriam eius, et Ecclesiae suae sanctae utilitatem. Quo vero facilius, atque uberius, quod petimus, consequamur, deprecatores adhibeamus apud Deum, primum quidem Beatissimam, semperque Virginem Dei Genitricem Mariam, eiusque castissimum Sanctum Sponsum Joseph, deinde Sanctos Patronos totius nostrae Dioecesis, ac denique Sanctos Angelos Tutelares, in quorum patrocinio sumus.

Tandem Pastoralem omnibus benedictionem impertientes, ex animo deprecamur, ut Gratia Domini nostri JESU CHRISTI, et Charitas Dei, et Communicatio Sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis. Amen.

Datum Romae extra Portam Lateranensem ipso consecrationis die 19 Decembris 1819.